



Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

Tractatulus Bernardi Laurenti. q. Presi. Tholosani, Continens plures casus,
quibus secularis Iudex sine metu excommunicationis manus in Clericum
imponit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

BERNARDI
LAURENTI. q. PRESI.
THOLOSANI,

Continens plures casus, quibus secularis Iudex sine metu excommunicationis manus in Clericum imponit.

vide supra p. 309.

SUMMARIA.

1. Jurisdictiones distinctae debent esse.
Jurisdictio Ecclesiastica temporali major censetur
2. Leges sacros canones imitari non pudet.
Jurisdictio una alijs non debet esse impedimento.
3. Laici in clericos nullum jurisdictionis actum exercere possunt.
4. Laicus in clericum jurisdictionem habet in causa reconventionis & feudali.
5. Clerici à Laicorum potestate exempti sunt summi Dei autoritate.
6. Iudices saeculares nullam in clericos jurisdictionem exercere possunt.
7. Percutiens clericum in septem casibus excommunicationem non incurrit.
8. Iudex saecularis sex casibus clericum coercere potest.
9. Clericus per judicem saecularem puniri potest, si sevis, & enormibus se immiscuerit,

- 10 Clericum militarem habitum gerentem per-
curiens, non efficitur excommunicatus.
- 11 Clericus vitam turpem ducens trina per an-
num facta monitione, omni privilegio clerica-
li spoliatur.
- 12 Cardinales ad celebrandam Romani Episcopè
electionem possunt includi per dominos tem-
porales.
- 13 Curialis effectus Clericus per secularem judi-
cem ad curiam revocari potest.
- 14 Clericus attentans aliquid in jurisdictionis
temporalis prejudicium, potest per judicem
secularem coerceri.
- 15 Jurisdictio Ecclesiastica justè defendi debet,
non tamen injustè.
- 16 Executio multa pecuniaria non contra per-
sonam Clerici, aut in bonis Ecclesiasticis fieri
debet, sed in bonis suis temporalibus.
- 17 Iudex secularis de possessoria causa, seu rei
Ecclesiastica potest cognoscere.
- 18 Episcopi olim carentes territorio suas non
exequabantur sententias.
- 19 Iudex secularis sex casibus Clericum capere
& carceri mancipare potest.
- 20 Iudex secularis Clericum in flagranti crimine
comprehensum per 20 horas detinere potest.
- 21 Creditor potest debitorem Clericum de fuga
suspectum capere.
- 22 Verbum Dei non debet adulterari, nec de Deo
est aliquid falsi etiam in ejus laudem, astruen-
dum,

dum, quod plerique faciunt mandata ipsius negligentes, ut suas stabiliant ad inventiones.

TRACTATUS.

Quoniam frequenter intueor modernis temporib. cap. distringi & plerumq. judicari à temporalib. judicib. sive magistratib., igitur vigilantissimi studio investigare curavi totis pro viribus an & quando sit hoc eis licitum, scilicet laicis imponere manus in personas clericorum sine metu excommunicationis, atque offensa divini judicij.

1 Primitus est presupponendum, quod jurisdictiones sunt distinctæ, in auth. quomodo oporteat Episcop. & Cleric. collat. 1. circa prin. juncto cap. novit. de jud. extra, cum concordan. Jurisdictio tamen Ecclesiastica major est & excellentior temporalis, in cap. Solite. de mayo. & obed.

2 Ideo dicit Imperator, quod leges non dedignantur sacros canones imitari. In auth. Vt clerici apud proprios Episcopos. §. penult. collat. 6. juncto cap. Clerici de judic. & cap. cum secundum. de secundis nuptijs. Qua de re una Jurisdictio non debet aliam impedire, ut dicto ca. novit. de jud. juncta. l. consulta divalia. C. de testamentis.

Imo potius una aliam juvare debet. ut 24 quest. 2. Dominus juncta l. fin circa prin. de re militari lib. 12 C. Et ibi de hoc per Lucam de Pen. de quo etiam egregie loquitur Guil. de Mon. Lauduno in ca. 1. circa fin. de foro compet. in clem. & est textus in cap. 1. de offic. ordin.

nullam

Nullam habent jurisdictionem, nec in criminalibus, ut in cap. At si clerici, & in cap. cum non ab homine. extra de jud. & in c. 1. & 2. II q. 1. cum conco. Nec etiam in causa pecuniaria ex criminali descendente, ut no. Io. 32 distinct. cap. ad hac & in c. Adrianus 63 dist. Item Bernardus & Hostien. in c. decernimus de judicijs, & in c. 2. de foro competenti, & ibidem hoc tenet Io. An. Idem notatur in c. 1. de clericis conjugatis, li. 6. Nec in causa mere civili in c. nō liceat 3. q. 6. & est hoc expeditum in c. 1. & 2. II q. 1. & in c. qualiter & quando de jud. quod tenet Host. & Io. And. in c. Clerici, de judi. de quo etiam in c. Quod clericis, de fo. comp. & in c. verum eod. tit. per Io. An. Ita etiam notat. Hugo. II q. 1. c. clericū, & in c. alleg. unico de clericis conjugat. li. 6. facit optime c. seculares de foro compet. lib. 6. cum concor. ibi signatis, ubi est hodie declaratum.

¶ In hoc tamen ultimo membro, dicunt nostri maiores excipi duos casus. Primus casus est in causa reconventionis. 2dus casus est, in causa feudali licet de hoc sint opiniones contrariae, tamen Inno. hoc tenet in c. verum de fo. cōpe. dicens quod si in causa feudali dominus clericus vasallū distringat vel alias repellat, nō incidit in canonē & c. de quo plenē disputat Henr. Bohic. in c. at si cler. de jud. hac tamen jura prae dicta familiaria, unde probatio est familiaris, ut dicit Io. in c. patet II q. 3. quādo unus papaliū Papā inducit in testē, ut recitat Io. 1. Romani Principes. de jurejurando. in clē. super verbo Bonifacius, hoc tamen obstante nullus

fidelis abnegare debet istorum jurium & simi-
lium auctoritatem; absit enim dicere ut scriptu-
ra mentiatur 13. qu. 5. quid ergo, &c.

5. Præterea prædicta approbantur non solum
autoribus juris canonici, imo & authoribus ju-
ris divini, & etiam civilis; quoniam Clerici
sunt exempti à potestate laicorum auctoritate
summi Dei rerum omnium conditoris, prout
legitur in cap. cum at verum, cap. duo sunt,
& c. imperator 96. dist. secundum Guil. de
Mont. Lauduno. in c. 1. de offi. ordi. in clem-
de quo plenè per Innocen. in c. Si quis de ma-
joritate, & obedientia, & plenius per ipsum
in c. licet, de fo. compe. ubi plenè ipse Inno-
centius differit de jurisd. Ecclesiastica, & de
illius origine & progressu. De libertatibus ve-
ro & privilegijs à Deo & à principibus conces-
sus ipsi Ecclesiæ & personis & bonis Clerico-
rum eleganter ponit Innocentius in ca. nove-
rit de sententia excommunicationis extra, ubi
ad hoc remitto causa brevitatis. Unde veritas
sacri eloquii testatur^{ps. 104. v. 15.}, dicens: Nolite tangere
Christos meos, & in prophetis meis nolite ma-
lignari.

6. Ulterius prædicta comprobantur authori-
tate juris civilis in auth. statuimus. C. de Epif.
& Cle. Ubi ad literam patet, quod judices
temporales nullam habent Jurisdictionem, nec
in criminalibus, nec in civilibus in personis cle-
ricorum, per quam auctoritatem dicunt ibi
DD. & præcipue Baldus quod omnia alia jura

civilia quæ dicebant laicos habere aliquam jurisdictionem in Cler. sunt correctæ per illam authent. & l. nullum C. de testibus & l. addictos C. de episco. audien. cum similibus tractant Hosti. & Io. An. in c. verum de foro compet.

Omnis tamen diffinitio in jure periculosa est parum est quin subverti possit l. omnis diffinitio. ff. de reg. jur. Ideo libet casus à prædictis exceptos hic enumerare. Ea de re subiiciam septem casus, in quibus verberans clericum non incidit in sententiam excommunicationis. Et sex in quib. clerici distringuntur per sæculares iudices. Et alios sex in quib. laici capiunt Clericos absq. metu excommunicationis, quos casus recollegi ex variis passib. juris & diversorum Doctorum conclusionibus.

7. Sunt igitur septem casus, in quibus quis percutiendo Clericum non incidit in sententiam excommunicationis, quos enumerat Innoc. in c. non dubium de sententia excommunicationis.

Primus est cum bono zelo causam correctionis, quis clericum verberat, ut pater, mater, magister & prelatus, ut in c. 1. de sententia excommunicationis & ibi de hoc per Henricum. Boyss.

Secundus est, si cum jocosa levitate, ut in cap. 1. & ibi per Henricum in 2. dist.

Tertius, cum quis invenerit Clericum turpiter agentem cum uxore, sorore, & matre, de quo in c. si vere. de sent. extra. in 2. di. per Hen.

Quartus si vim vi repetat, ut in d. c. si vero, & ibi de hoc per Henri. in 1. dist.

Quintus, si ignoravit eum esse cler. c. si ve-
ro 2. & ibi de hoc per Henri. in 1. distinct.

Sextus, si invenerit Clericum apostatam sci-
licet non deferendo habitū, & tonsurā clericale
post trinam monitionem, vel si s̄avis, & enor-
mibus immisceat sine habitu & tonsura cleri-
cali sine monitione, de quo tamē latius inferius.

Sept. & ultim. cum cler. se prorsus trans-
fert ad actus contrarios clericatus, ut quia effi-
citur miles se immiscendo s̄avis & enormibus
ut quia bigamius efficitur, & etiam de his dicā.
8. Præterea, secundo reperio sex casus in quib.
Judex temporalis coercere potest clericum.

Primus est, quando cler. incorrigibilis est, &
est degradatus & traditus brachio seculari in
c. cum non ab hom. cum concord. suis, de jud. &
intelligo quod sit degradatus juxta formam c.
degradato, de pœnis li. 6. casus autem in quib.
cler. traditur brachio seculari enumerantur
per glo. in c. ad abolendam extra de hæreticis.

Secundus casus est, ubicunque Ecclesiastica
potestas defuit juxta ea quæ violantur in cap.
Princeps. 33. q. 5. in c. filijs 16. qu. 7. ubi dicit
text. quod metropolitano dissipante bona eccle-
siæ adeatur regia dignitas & ibid. per glo. vide
etiam per Ludov. de Pennis in l. si coloni. C. de
agricolis & censib. li. 11. Adde hunc locum ci-
tat Benedi in c. Cainuti. 2. par. 8. si absq. n. 31.

Tertius, quando per Ecclesiam invocatur
Brachium seculare in c. 1. cum ibi notatis,
de officio ordinarij.

9. *Quartus*, ubique clericus se immiscet sœvis & enormibus in c. ex parte. 3. de privilegijs juncto c. perpendimus & c. cum non ab homin. de senten. excom. ubi de hoc, de quo latissime per Hen. in c. ut fama de sentent. excom. & in c. ex litteris in 3. dist. extra. de vita & honestate clericorum, ubi inter cetera legitur quod si Cler. facit contra statutum clericale assumendo militiam, immiscendo se sœvis & turpibus, vel apostatando ab ordine clericali pariter enormia committendo, sine laicali monitione exuitur omni privilegio clericali.

Hoc idem tenet Innoc. in ca. in audien. de sentent. excom. qui text. dicit, † quod Cler. assumens habitum militarem si tertio monitus non desistat, si capitur seu percutitur per tales laicos non sunt tales laici excommunicati, Innoc. tamen supplet super verbo moniti, subaudi maxime, Et nota quod ille text. non dicit, quod se sœvis & enormibus immisceat, sed solum quod habitum militarem assumpserit. Sed in c. 1. de apostatis. Innoc. dicit, quod ad hoc, quod perdat privilegium clericale, duo requirantur, scilicet quod se transferat ad habitum militarem, & quod sœva & enormia committat.

Si autem clericus vitam turpem ducat, ut quia est publicus Ioculator, Buffo, Goliardus, tunc sive sit in sacris, sive non, post annum ipso jure, vel etiam intra annum, trina tamen monitione precedente, perpetuo exuitur omni privilegio clericali. in c. unico de vita & honesta-

re clericorum lib. 6. si vero alias turpem Clericus exerceat vitam ut carnificum, macellariorum vel tabernariorum, personaliter tamen post trinam monitionem post terminum competentem arbitrio monentis praefixum, si sit conjugatus omnino, si non sit conjugatus in rehus, Et tunc si omnino incedat in habitu laici etiam in persona privilegium clericale quamdiu in praemissis, insistit, amittit, ut in clem. 1. de vita & honestate clericorum.

12. Quintus casus est in c. ubi majus periculum, de electionib. lib. 6. juncto c. 7. ne Romani. eod. titul. in clem. ubi domini temporales possunt de facto includere dominos Cardinales ad celebrandam electionem summi pontificis. Sed quia hoc faciunt domini temporales ex commissione vel concessione summi pontificis, a quo in hoc casu praedictis dominis temporalibus attribuitur talis potestas dico quod laicus ex commissione vel delegatione Papa potest Clericos non solum civiliter, quinimo criminaliter coercere, secundum Io. qui hoc 32. dist. c. ad haec & in c. Adrianus. 63. Idem tenet Bohic. post Bernard, Hostien. Innocentium. & Ioann. Andr. capit. allegato. At si Clerici, de judi.

Et per hoc ut opinor. excusantur officarii nostri regis Francorum qui Rex in his multa habet privilegia apostolica, & plures praeminentias, adeo quod Officarii sui capiunt Clericos, & detinent sine metu excommunicationis, sed

eos corporaliter non puniunt, sed bene pecunia-
 riter in casibus privilegiatis ut infra dicitur.
 13 Sextus & ultimus casus est in l. Si quis cu-
 rialis. de Episcopis & Clericis C. ubi curialis
 si clericetur potest per temporale iudicem etiam
 per manu injectionem ad curiam revocari, &
 vide ibi Bal. Et potest hujus esse ratio, quia ubi
 aliqua sunt in cognitione & jurisdictione ex
 natura causae & iudicii temporalis, potest cognitio
 seu jurisdictio exerceri per temporale iudicem
 in Clericum ut in c. verum de fo. compe. & in
 c. ex transmissa eodem titul. qui loquuntur in
 feuda. & in cap. ceterum de judi.

Unde si Clericus resistat iudici seculari po-
 test de facto repelli & ejus persona potest de
 facto a feudo exui sine metu excommunicatio-
 nis, secundum Innocent. in c. verum. & ex hoc
 quotidie practicamus quod in causis quae perti-
 nent ad temporales de jure vel ex privilegio,
 ut in casibus, quos dicimus privilegiatos in hoc
 regno, vel quando Clerici aliquid attentant in
 prejudiciu temporalis jurisdictionis, profecto
 temporales possunt coercere Clericos resistentes,
 & merito, quia quilibet potest tueri suam juris-
 dictionem etiam poenali iudicio ut in l. unica.
 in principio. ff. si quis jus dicenti non obtempe-
 ret, & notat Inno. in c. 1. de offi. deleg. Quo casu
 Iudex potest etiam non subditos coercere, juxta
 c. Roma. de poenis li. 6. Et not. plenè Inno. in d.
 c. 1. de offi. dele. Et ob id Iudices temporales in
 dictis casibus Cler^{icos} mulctant, nec propter hoc puto

eos incidere in sentent. excommun. nec facere
contra libertatem ecclesiast. quæ licet sit fo-
venda & amplianda non tamen quod alijs ius
suum auferatur argum. capit. ex tenore de fo.
competenti. non enim debet apponi laqueus fa-
vore Ecclesiarum ut in cap. Mulieri de iure
jur. & ibi sunt concord.

15. Jurisdictio enim Ecclesiæ semper tueri de-
bet ob Dei reverentiam scil. justè & non inju-
stè ut dicitur de causa pupillari in l. Quoties
§. Nec utiq; ff. de administ. tutor. Ex quib. o-
pinor quod iudices seculares contra personas
Ecclesiasticas jurisdictionem exercentes debito
modo utiq; non excedunt. Et maximè quia hoc
faciunt ex privilegio juris vel Papæ aut saltè
ipso Papa sciente & tolerante, ad quod benè
faciunt notat. in c. Quoniam de vita & hone-
state Clericorum. per Inno. in C. 1. de treuga
& pace, & vide quæ proposui ibidem satis latè
post Innocent.

16. Verum est tamen quod tunc Executio hu-
jusmodi mulctæ pecuniariæ non fiat contra per-
sonam Clerici nec in Bonis Ecclesiast. quia non
subijciuntur iudici temporali. sed benè fiet exe-
cutio in Bonis eorum temporalibus immobilibus
tamen cum mobilia sequantur personam juxta
l. Si captivus §. expulsus ff. de captis. & postlim.
reversis. Et notat. Divus in l. etiam §. Patron.
ff. de bonis libertorum, & plenè Olāradus de
Ponte Lauduno Cons. 59. & Cons. 17. Fiet igitur
Executio in Bonis immobilibus seu in rerum

temporalitate si quando habeant, cum talia bona temporalia subijciuntur jurisdictioni Regum, & aliorum temporalium dominorum, ut in cap. quajure. distinct. 8. & ita servamus.

17. Præterea iudices temporales in regno Francia cognoscunt de possessorio causa seu rei Ecclesiastica, quia possessorium rei Ecclesiastica est quid temporale & non spirituale secundum Innoc. in Ca. cum dilecti. de electionibus, licet quidam in hoc contra. Sed Bernardus videtur hoc asserere in C. literas. de juram. cal. quia possessio habet plurimum facti, & propterea de ea potest Iudex temporalis cognoscere, & jam in rebus spiritualibus seu Ecclesiasticis secundum Bernard. in l. potest pupillus, ff. de autor. tutorum. & in l. Titia ff. soluto matrimonio, & melius in l. quæstiones de judicijs C. & Io. And. in C. tuam, extra de Ordinarijs cognitionibus, & Paul. de Lea. in C. 1. de usu in Clementina, qui dicunt, quod quando agitur de quæst. facti incidentis in materia Ecclesiastica iudex temporalis cognoscere potest.

8. Unde secundum jura antiqua Episcopi non habebant territorium, & ideo non exequabantur sentent. suas, sed iudices temporales eas exequabantur secundum Cynum & Bald. in l. Episcopi. C. de Episcopali audientia. Et propterea licet cognitio dotis pertineat ad Ecclesiam, ut in c. 1. & 2. de donat. inter virum & uxorem, tamen in quantum requiritur in ea executio facti, illa fiet per Iudicem secularem & non per Ecclesiasticum secundum Innoc. in c. significasti de offic. de-

legati secundum unum intellectum. & ex hoc dicemus inventaria bonorum temporalium Clericorum debere fieri per iudices temporales, quia illa subiunguntur temporalibus; in cap. quo iure. 8. distinct. superius allegata.

19 Postremo reperio alios 6. casus, in quibus iudex temporalis sine metu excommunicationis potest capere Clericum & incarcerare.

Primus est in casibus predictis, in quibus potest fieri punitio seu correctio persone, quia cui licet quod est majus; & c. Reg. iur. 93. in 6.

Secundus de mandato iudicis Ecclesiastici ipsorum malefactorum ad fines remittendi, in cap. universitatis; & ca. ut fama. de sentent. excommunicationis. ita tenent Archid. & Ioannes Andree in cap. Si Clericos eod. tit. lib. 6.

Tertius, quando iudex Laicus videt Clericum ad alterius injuriam preparatum, & non adest praelatis suis, si ipsum Clericum alias compescere non potest, nam tunc potest eum sine metu excommunicationis ligare vel incarcerare secundum Innocent. qui hoc notat in cap. si vero de sentent. excommunic. quem sequitur Lucas de Penna, in l. generali, de Decur. lib. 10.

20 Quartus, quando iudex secularis reperit Clericum in crimine flagranti, quem potest per 20 horas detinere secundum Bernard. & Ioannem And. Hostiens. tamen contra in capit. ut fama. de sentent. excommunicationis San. & Guilielmus de Monte Lauduno in cap. 1. de officio Ordinarii in Clementina, quos sequitur Henricus Bohic in

capit. cum non ab homine de judicijs. Archid.
tamen in capit. Præbiter distinct. 81. & Lucas
de Penna post eum in d. l. generali, sequitur
opinione primam, quæ videtur esse consuetudi-
ne approbata.

Quintus casus est, quando Clericum adulte-
rantem cum uxore sua invenit maritus secund.
Host. & Henricum Bobic in d. cap. si verò. de sent.
excommunicationis, cui autem pertinet vel in-
cumbit probatio Clericatus & coram quo est ho-
die declaratum in c. si iudex Laicus. de sen. li. 6.

21 Sextus & ult. casus est, ubi timetur de fugâ
debitoris etiam Clerici, quoniam creditor potest
tunc talem debitorem capere juxta terminos l.
ait præd. s. debitorem. ff. quæ in fraudem credi-
torum alienata sunt, ut restituantur. & hoc abs-
que metu excommunicationis, ut singulariter po-
nit Ioan. And. in Novella, & Innocent in cap. ut
fama de sent. excommuni. & ibi de hoc.

Hæc verò citra præjudicium potestatis jurisdictio-
nis & libertatis Ecclesiæ sufficiat perstrinxisse,
quibus nullatenus derogare intendo sed solum
pro ruenda veritate justitiæ prædictæ certificare
presumpsi.

22 Non enim debemus esse adulterantes verbum
Dei vetante Apostolo. 2. ad Corin. 2. unde non so-
lum de Ecclesia, sed etiam de Deo valde perhor-
rescendum est aliquid falsi astruere, etiam si ad e-
jus laudem videatur pertinere, ut scribit Magi-
ster sen. & ad Cor. ca. 15 subjungens, quod non
minori sed majori fortassis scelere. si in Deo lau-

detur falsitas, quam vituperetur veritas, quod est tenaci animo commendandum, & perpetuo mente tenendum. Omnia tamen submitiendo correctioni & determinationi sanctæ matris Ecclesie. Nam sicut errare vel minus sapere est communis infirmitas, sic in errore persistere precipuum est horrenda iniquitatis.

FINIS.

SEQUITUR TRACTATUS.

Utilissimus.

DE

RECUSATIONIBUS

Susceptorum Iudicum, auctore Stephano Aufrerio per casus 93. distinctus.

RECUSATIO est jurisdictionis vel audientie causa suspicionis proposita declinatio. l. apertissimi. C. de judi. cap. quia suspecti. 3. qu. 5. cap. suspensionis. & cap. super questionum. cap. 2. 3. & 5. de offic. deleg. ita dicit Pe. in tit. de recus. §. i. ubi vide alias definitiones seu descriptiones recusationis, quas ibidem ponit Ioan. An. in addit.

Secundò quæritur, qualiter sit fienda recusatio. Et breviter conclude, quod in scriptis, ex quo videtur tex. juncta glo. in ver. libellum. in præallegat. l. aper-